



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1842**

Urkunden.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54306)

## U r k u n d e n.

I. Die Mecklenburgischen Herren Johann, Nicolaus, Heinrich und Pribislav bestätigen die Schenkung ihres Vaters zur Stiftung der Johanniter, Comthurei Mirow, im Jahre 1227.

In nomine sancte et individue trinitatis. Ego Johannes, ego Nicolaus, ego Henricus, ego Pribizlavs, fratres, domini Magnopolenses, omnibus in perpetuum. Quoniam hominis generatio preterit et alia subsequitur, plura priorum facta in tempore deperirent cum tempore et obliuionis nubilo tegerentur, sed ad cauendam huiusmodi negligentiam ea, que rationabiliter gesta sunt, solent ad memoriam perpetuam indicio scripti notabilis eternari. Hinc inde uolumus ad uniuersorum tam presentium, quam futurorum noticiam deuenire, quod bone memorie pater noster Henricus, dominus de Roztoch, Deum, quantum humana fragilitas permittebat, pre oculis habens, pro suorum suorumque uenia peccatorum progenitorum, fratribus hospitalis sancti Johannis Baptiste in Accon, qui iugiter ibidem una cum reliquis fidelibus prelia domini preliantur, ad ampliandam ipsorum sustentacionem ipsis, ad honorem Dei sanctique Johannis Baptiste, contulit in terra Turne LX<sup>ta</sup> mansos, spontanee ac libere renunciando iuri suo, quod in eis habuit uel habere aliquatenus uidebatur. Quia uero tota iurisdictio ac hereditas progenitorum nostrorum ad nos deuenit, quicquid domino Ihesu Christo a patribus nostris ad gloriam ipsius laudabiliter est impensum, pari uoto factis eorum consentientes, ratum habemus et inconuulsum, quicquid per eos dinoscitur esse factum. Unde supradictis fratribus hospitalis sancti Johannis Baptiste in terra Turne villam Mirowe cum LX<sup>ta</sup> mansis et stagnum Miro[we et] stagnum Dammene et riwm, qui fluit per stagnum Mirowe, desuper et inferius, assignamus cum omni utilitate in agris et siluis, pratis et pascuis, aquis et aquarum decursibus, petitionibus et exactionibus et seruitiis, que uelgo Borchwerch et Bruggewerch nominantur, quemadmodum pater noster, omni iuri nostro libere ac irrefragabiliter renunciando. Ex hiis mansis XXX<sup>ta</sup> erunt in uno latere stagni et ex altero XXX<sup>ta</sup>. Ut igitur hec omnia rata permaneant et in perpetuum illibata et per omne seculum inconuulsa, dictos fratres presenti scripto cum appensione sigilli nostri et cum subscriptis testibus duximus communire. Nullus ergo hominum hanc nostre donacionis paginam audeat uiolare, si diuinam effugere uoluerit ultionem. Testes hii sunt: Thedelinus prepositus fratrum de Dobrotin, Godefridus, Theodoricus, Bertoldus, Johannes, canonici de Guztrowe; layci: Zlawotech de Malegowe, Gotimerus et Johannes frater suus de Hauelberch, Vuizlaus castellanus de Robole, Henricus Gamba dapifer, Jordanus, Henricus Grubo, Bartoldus, milites castellani de Guztrowe. Actum in Guztrowe anno gratie M<sup>mo</sup>. CC<sup>mo</sup>. XX<sup>mo</sup>. VII<sup>mo</sup>. III<sup>o</sup>. nonas Decembris, indicione prima. Datum per manum Conradi scriptoris.

Nach dem Original des Geh. Kabinets-Archives. Vgl. Jahrbücher des Meckl. Vereins II, 213. Einen fehlerhaften Abdruck dieser Urkunde findet man bei Buchholz, Gesch. der Churm. Brand. Thl. IV. Urk. Anh. S. 60.

## II. Die Markgrafen Johann und Otto von Brandenburg bestätigen ebenfalls diese Schenkung, im Jahre 1227.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Johannes et Otto Dei gratia marchiones Brandenburgenses omnibus in perpetuum. Christianitatis sue cultum memoriter ostendunt, qui ecclesiam Dei benigno affectu fouent, edificant et tuentur. Unde nouerint uniuersi, tam futuri, quam presentis homines temporis, quod nos honorum illorum donationem, quam dilecti fideles nostri, filii nobilis uiri domini Burwini circa fratres et ecclesiam hospitalis sancti Johannis baptiste in Accon pro suorum remedio peccatorum fecerunt, villam uidelicet Mirowe cum stagno ipsius ville, stagnum Dammene et riuum, qui fluit per stagnum Mirowe, desuper et inferius, perpetualiter confirmamus, et si qua alia bona etiam secundum temporum cursum et ut diuinitus ipsis fuerit irspiratum, eroganda duxerint eisdem. Ut autem hec nostra donatio racionabiliter facta ullatenus valeat immutari, presentem paginam inde conferibi et sigilli nostri appensione iussimus insigniri. Huius rei testes sunt: Henricus pincerna, Albertus de Niendorp, Thegenardus aduocatus de Saltwedele, Johannes, Albertus, Fridericus, Hartmannus, Bruniggus, fratres de Redekestorp, Albertus de Lypzeke, Olricus aduocatus de Arneburch et alii quam plures. Actum apud oppidum nostrum Werben. Anno gratie M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XX<sup>o</sup>. VII<sup>o</sup>, nonas Augusti, indictione secunda.

Nach dem Original des Geh. Kab.-Archives. Vgl. Jahrbücher des Mecklenb. Vereines II, 215. 216. Ungenaue Abdrücke bei Buchholz a. a. D. 61. Lenz Br. Urk. Samml. 869.

## III. Bischof Brunward von Schwerin bestätigt die Schenkung des Ortes Zechlin, welche Nicolaus, Herr von Werle, dem Kloster Doberan gemacht, und fügt seine Berechtigung auf Zehnthebungen aus dieser Besizung dem Geschenke hinzu, im Jahre 1237.

In nomine etc. Brunwardus Dei gratia Zwerinensis episcopus Vniuersis Christi fidelibus prefens scriptum inspecturis in perpetuum. Quum labilis hominum memoria per temporum decurrentium langvescit spacia, non inprouide humana sollercia scripturarum adinuenit remedia, per quarum solacia memorie sustentetur inopia. Cum itaque cenobium Cystercienfis Ordinis in Duberan honorifice in honorem beate Dei genitricis Marie fundatum, omni qua possumus deuotione et caritatis affectu foventes tam reddituum ampliacione, quam spiritalis sollicitudinis circumspectione, promouere summo pere desideremus; Hinc est quod tam futuris quam presentibus notum esse volumus: Quod nos dilecti filii, Nobilis Domini Nycolai de Werle, piam deuocionem collaudantes et quinquaginta mansos quos ipse in terra Turne in loco Szichalyn nuncupato circa duo stagna sitos, simul cum ipsis stagnis et rivulo ex hys decurrente, dicte ecclesie libere contulit in nostram protectionem recipientes et auctoritatis nostre munimine confirmandes, omnem decimam ex eisdem mansis prouenientem, que ad nostram spectabat iurisdictionem ad subsidium fratrum in prefato monasterio Jesu Christo militantium, ob spem retributionis eterne, liberaliter contulimus et absolute. Ut igitur nullus in posterum in detrimentum perpetue salutis hoc nostre donacionis factum ausu temerario irritare presumat, auctoritate Dei omnipotentis et nostra sub anathematis interminatione districtius prohibemus, Volentes rata et inconuulsa perhenniter hec haberi. Et ob hoc presentem paginam sigilli nostri appensione et testium subscriptione

dignum duximus roborare. Testes autem hy sunt, Clerici: Alexander Abbas de novo campo, Theodericus prepositus, Syfridus Decanus, Rudolfus Scholasticus, Laurentius custos, Wernerus et Odo, Canonici Zwerinenses, Adam prepositus de campo folis, Plebani: Petrus de Buzove, Thethardus de Bruneshovede, Milites: Titlevus de Godebuz, Johannes de Snakenburgh, Henricus Gamme, Hiuricus de Zyarnin, Hinricus Grubo, Bertoldus de Trechov et alii quam plures tam clerici quam layci. Acta sunt hec Anno gracie M. CC. XXXVII. Indictione X. Datum in Warin, per manus Reyneri Capellani nostri, XVI Kalend. Marey.

Nach dem Diplomatarium Doberanense, abgedruckt in Ern. Joachimi de Westphalen Monumentis ineditis rerum Germanicarum praeipue Cimbricarum et Megapolenfium Tom. III, col. 1480.

IV. Nicolaus, Herr von Werle und in Güstrow, vereignet dem Kloster Doberan die Besizung Zechlin mit 50 zehntfreien Hufen Landes und bestimmt die Freiheiten und Gerechtigkeiten der künftigen Bewohner dieser Besizung, im Jahre 1244.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Nycolaus de Werle et Dominus in Guztrowe omni generationi que ventura est in perpetuum. Quum omnes ante tribunal Christi stabimus reddituri rationem de operibus nostris, que in corpore gessimus, sive fuerint bona sive mala; necessarium est unicuique sibi per eleemosinarum remedia pro peccato veniam, pro terrenis celestia commutare. Et quia suis spaciis transeunt univcrsa et labilis est hominum memoria, oportunum videtur, si que volumus ad posteritatis noticiam transmittere, scripturarum testimonio roborare. Notum sit igitur universis sancte matris ecclesie filiis tam presentibus quam futuris presens scriptum intuentibus, quod ecclesie Dei et sancte ejus genetricis semperque virginis Marie, que est in Duberan Cysterciensis Ordinis, Zwerinensis Dyocesis de patrimonio nostro contulimus quinquaginta mansos in terra Turne in loco Szechelin nuncupato, circa duo stagna sitos, cum decima nos contingente, simul cum ipsis stagnis et rivulo ex hiis decurrente, pro nostra nostrorumque heredum salute, cum omnibus pertinenciis et utilitatibus suis in longum et latum sine interpositione vel medio colonorum quorumlibet aliorum, secundum quod idem fundus antedictae Duberanensi ecclesie est determinatus, in silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, piscinis et piscationibus, Molendinis, in busco et plano, nemoribus, usugiis, cultis et incultis, in viis et semitis communibus et privatis, liberum et absolutum perpetuo concessimus possidendum. Et sive per conversos proprios sive per alios homines seculares eundem fundum excolere voluerint, liberam dedimus facultatem. Ipsi etiam homines quos vocaverint fratres predictae ecclesie ejuscunq; gentis vel ejuscunq; sint artis, habeant potestatem ipsas artes exercendi in prefata possessione, et sint liberi et immunes in eisdem bonis commorantes ab exstrukcione urbium et poncium, ab exactione vectigalium et theloneorum et ab omni expeditione, ita ut nemini quicquam servicii debeant ex debito, nisi soli Deo et Doberanensi Monasterio. Nec advocatum quemquam de nostris habeant super se vel judicem nisi Abbatem solum, cui damus judiciariam potestatem in omni causa, vel cui Abbas vicem pro se commiserit judicandi. Ne autem ab heredibus nostris vel a quoquam alio iam sepedictae ecclesie ulla in posterum oriri possit calumpnia, quod absit, presentem daginam inde conscriptam testium annotatione et sigilli nostri impressione, ut jugiter inconvulsa permaneat, roboramus. Testes autem hy sunt: Clerici: Helyas Canonicus in Guztrowe, Reynerus

Decanus, Johannes de Warne, Sviderus de Sywan, et Hermannus de Wangelin, Conradus Notarius; Milites: Vnizlaws, Gerozlaws, Johannes de Havelberch, Henricus Dargaz, Henricus Grabo, Bernardus de Wigendorp, Otto Bawarus, Geroldus advocatus in Robele et ceteri quam plures diversi generis homines. Datum in Guztrowe anno dominice incarnationis M. CC. XL. IV. Indictione II. IV. Kalend. Januarij. Prefidente Cathedre Romane sedis pio Papa Innocentio, hujus nominis quarto, Pontificatus ejus anno primo.

Nach dem Diplomatarium Doberanense. Westphalen a. a. D. Sp. 1485. 1486.

V. Nicolaus, Herr von Güstrow, bestätigt dem Kloster Doberan die Besetzung zu Sechlin mit 75 Hufen Landes, im Jahre 1249.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Nycolaus Dei gracia Dominus de Guztrowe omnibus in perpetuum, Quoniam omnia que scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt ac edita. Ratio veritati consona docet, ut acta temporum presencium digna memoria scriptis et sigillorum appensionibus sic servemus integra, ne per oblivionis exitum excedant scienciam futurorum. Notum esse volumus tam presentibus quam futuris, quod nos de mera liberalitate, ob remedium animarum, progenitorum nostrorum ac proprie salutis, venerabili cenobio in Duberan in honore beatissime semperque virginis Marie, que eterni regis filii Dei mater est et filia, honorifice constructo, villam Szechelin dictam cum LXXV. Mansis ac rivulum Wolewicz una cum stagno Lubetowe nuncupato, cum piscaturis et molendinis edificandis, cum silvis et agris, pratis et pascuis, et usuagiis, usque ad determinationes circumjacentes, pleno jure, secundum libertatem consuetudinis Ordinis Cystericiensis, ita ut nemini servire teneantur homines in eisdem bonis commorantes, nisi soli Deo et Doberanensi cenobio, et sint immunes ab extructione urbium et poncium ac aggerum et ab extorsione vectigalium et theloneorum et ab expeditione qualibet, nec non ab omni jure advocatorum, vel juris nostri exercitorum, contulimus perpetuo prenominata bona pacifice possidenda. Vt autem hec donatio firma ac inconvulsa permaneat, litterarum testimonio ac sigilli nostri appensione duximus muniendam. Testes sunt hij: Nos Nycolaus et duo filii nostri Domicelli Henricus et Johannes; Henricus Grubo et filius ejus Henricus, Arnoldus de Nyenkerken, Otto Bersarius, Geroldus de Peccatle, Stephanus Prepositus, Johannes de Havelberch, Hermannus Dargas, Jerezlavus, Ekbertus de Myrowe, Wernerus Capellanus, Hermannus Advocatus, Harvith et alii quam plures. Datum Robele, anno graciae M. CC. XL. IX. II. Kalend. Novembris.

Nach dem Diplomatarium Doberanense. Westphalen a. a. D. Sp. 1491. 1492.

VI. Nicolaus, Herr von Güstrow, bestätigt dem Kloster Doberan die Besetzung Sechlin mit 86 Hufen, indem er zugleich die an das Kloster vorgenommene Schenkung der Ritter Arnold von Neukirchen, so wie Friedrichs und Dieterichs von Eickstedt, genehmigt, im Jahre 1249.

In nomine sancte et individue trinitatis: Nycholaus Dei gracia Dominus de Guztrowe omnibus in perpetuum. Quoniam omnia, que scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt ac edita,

ratio veritati consona docet, ut acta ipsorum presentium digna memoria scriptis et sigillorum appensionibus sic servemus integraliter, ne per oblivionis exitum excedant scienciam futurorum, notum esse cupimus tam presentibus quam futuris, quod nos de mera liberalitate ob remedium animarum progenitorum nostrorum ac proprie salutis venerabili cenobio in Duberan in honorem beatissime semper virginis Marie, que eterni regis filii Dei mater est et filia, honorifice constructo, villam Szechelin dictam cum LXXX. VI. mansis ac rivulum Woleyisz una cum stagno Lubetowe nuncupato cum piscaturis et molendinis edificandis, cum silvis et agris, pratis et pascuis et usuagiis, usque ad determinationes circumjacentes, pleno jure secundum libertatem consuetudinis ordinis Cysteriensis, ita ut nemini servire teneantur homines in eisdem bonis commorantes, nisi soli Deo et Doberanensi cenobio, et sint immunes ab extructione urbium et poncium et aggerum, et ab extorsione vectigalium et theloneorum, et ab expeditione qualibet, nec non ab omni jure advocatorum vel juris nostri executorum, contulimus perpetuo prenominata bona pacifice possidenda, scire nichilominus oportet de predictis bonis videlicet LXXXVI. mansis Arnoldus miles de Nygenkerken, Fridericus miles de Ekstede, Thidericus miles de Ekstede, decem mansos, libertate a nobis donata, in remissionem peccaminum suorum, predictae ecclesie contulerunt. Ut autem hec donacio firma ac inconvulsa permaneat, litterarum nostrarum testimonio ac sigilli nostri appensione duximus muniendam. Testes sunt hy: Nos Nycholaus et duo filii nostri Domicelli Henricus et Johannes, Heinricus Grubo et filius ejus Henricus, Arnoldus de Nienkerken, Otto Bersarius, Geroldus de Peccatle, Stephanus prepositus, Johannes de Havelberch, Hermannus Dargaz, Jerezlaus, Vnizlaus, Ekbertus de Myrowe, Wernerus Capellanus, Hermannus Advocatus, Harnith et alii quam plures: Datum Robole. Anno gracie M. CC. XL. IX. II. Kalend. Novembris.

Nach dem Diplomatario Doberanense. Westphalen a. a. D. Sp. 1492. 1493.

VII. Des Raths zu Wittstok Zeugniß über eine von dem Bürger Gerhard dem Kloster Doberan im Dorfe Zechlin abgekaupte Leibrente, im Jahre 1251.

Vniuersis christi fidelibus presentem paginam inspecturis. Vniuersi consules civitatis Wizstok salutem in domino. Notum facimus uniuersis, quod Gherardus cuius noster cum uxore sua simul et matre pro remissione suorum peccaminum contulit ecclesie Doberanensi decem talenta grauis monete condicione tali, ut singulis quoad uixerint annis percipiant fructus quatuor mansorum in uilla nomine Zechelin, ita ut in obitu dicti G. duorum mansorum redditus cedant claustro, in obitu uxoris unius mansi, in obitu uero matris unius mansi redditus claustrum pacifice possidebit. Ne autem ab heredibus dicti G. et uxoris sue vel a quoquam alio ecclesie Doberanensi super facto rationabili ulla in posterum possit calumpnia suboriri, quod absit, sigilli nostri appensione presentem paginam roboramus. Testes huius accionis sunt hii: dominus Heynricus de Grechellestorp, Randico magister de Dranso, frater Heynricus cammerarius in Koz. Datum in Wizstok anno domini M° CC° L° I., in uigilia seruacii episcopi.

Nach einer vom Archivar Lisch mitgetheilten Abschrift des im Großherz. Geh. und Hauptarchive zu Schwerin befindlichen Originals.

VIII. Bischof Heinrich von Havelberg beurkundet die ihm gebührende Zehnthebung von 75 Hufen Landes in Zechlin, dem Kloster Doberan überlassen zu haben, im Jahre 1255.

In nomine Domini amen. Henricus Dei gracia Havelbergenſis eccleſie Episcopus omnibus in perpetuum. Equitati et rationi convenire videtur, si ea, que iuste gerimus, perpetua stabilitate firmemus. Cum itaque experimento frequenti instruamur, quantum status presentis seculi sit incertus et hic manens civitas non sit nobis, consideremus nichilominus, nobis esse summopere necessarium et salubre, ut nobis eternum et felicem statum per hec transitoria comparemus. Igitur est quod noscere volumus tam posteros quam presentes, nos de LXXV. mansis, quos Nobilis vir Dominus Nycolaus de Werle, venerabili cenobio Cysterſienſis Ordinis in Duberan, in honore sancte Dei genitricis et virginis Marie fundato, in loco qui Szechelyn dicitur, cum omni jure liberaliter contulit, decimam, ex eisdem mansis proveniente, que ad nostram spectabat jurisdictionem, ad subsidium fratrum in prefato cenobio Domino Jesu Christo devote famulantium, ut per ipsorum, que Domino nocte dieque in orationibus, jejuniis, vigiliis, et aliis divinis obsequiis offerunt suffragia, eterna gaudia feliciter assequamur, de consensu nostri capituli, prout ipse probat appenso sigilli, libere in donum perpetuum contulisse. Ea tamen conditione interposita, ut, si fratres dicti cenobii Duberan possessionem eorundem manforum sive vendendo sive permutando, a se dimiserint, quicumque eos possederit, decimam eorundem à nobis in Pheodo recipiet et tenebit. Ut autem hec nostra donatio in perpetuum maneat inconvulsa, presentem paginam cum testium subnarratione conscribi fecimus et nostri ac capituli nostri sigillorum testimonio communiri. Datum Havelberge anno Domini M. CC. LV. VII. Idus Marcii Pontificatus nostri anno X. Testes hii sunt Wipertus, prepositus Havelbergenſis, Johannes prior, Bertoldus Cellarius, Henricus custos; Johannes Camerarius canonic. Havelbergenſis, Johannes prepositus in Jericho, Johannes archidiaconus in Repyn, Stephanus archidiaconus in Robele. Gerrardus canonicus Jerichouenſis; et alii quam plures clerici et layci.

Nach dem Diplom. Doberanense. Westphalen a. a. D. Sp. 1497. 1498.

IX. Vergleich zwischen dem Abte des Klosters Doberan und dem Ritter Johann von Havelberg, wegen des durch die Anlegung der Mühle zu Zechlin dem Wendischen Dorfe Repente zugefügten Schadens, vom Jahre 1256.

Nycolaus Dei gracia Dominus de Guztrowe omnibus in perpetuum: Notum esse volumus tam presentibus quam futuris, quod legitima necessitate inferioris molendini urgente preposito, structuram cujusdam molendini cenobii Duberanensis in terminis ville Zechelin elavatam, modum prioris fundamenti excedentem, inundatione excreſcente stagni, villa Domini Johannis de Havelberg repente \*) in pascuis et aliis in commodis exinde provenientiſibus leſa aliquantulum videbatur; Inde est quod Dominus Abbas Duberanensis cum unanimi consensu sui capituli et Dominus Johannes de Havelberg in unum convenientes super controversia, que inter eos de molendino sublimiore positione constructo verſabatur, litibus renuncianteſ compromiſerunt in arbitros, videlicet Domi-

\*) Der Herr von Westphalen hat das Wort repente für ein adverbium angesehen, und dadurch die Verständlichkeit seines Abdruckes der obigen Urkunde sehr erschwert.

num Henricum Dargaz, Dominum Ottonem Bersere, fratrem Johannem de Drans, fratrem Wernerum et quicquid ipsi inter eos super causa memorata arbitrentur, cessantibus litibus causarum, gratum et ratum inviolabiliter servaretur. Qui statuerunt, quod molendinum secundo statu constructum, debito modo et utili, incremente fluctuacione et aliis pertinenciis ad hoc necessariis, sine impetitione dicti Johannis et suorum in perpetuum persistat, ecclesia vero Doberanensis pro dampno illato dabit jam dicto Johanni X. marcas Slavicorum denariorum, V. in festo beati Johannis baptiste et alias V. in die beati Michaelis proximo persolvendas, tali condicione, ut Slavos sue ville dicte repente a tumultu querimoniarum amicabilem concordiam conspescere non cessaret. Ne vero forma arbitrii voluntari in irritum revocetur, Dominus Henricus Dargaz et Dominus Otto Bersere fidem plenius presterunt. Ut autem hec rata et inconvulsa permaneant, sigillo nostro duximus roboranda. Testes sunt: Dominus Nicolaus Dominus de Werle, Domicelli Henricus et Johannes, prepositus de Robele, Frater Ekbertus de Myrowe, Dominus Henricus de Mynda, Arnoldus miles de nova ecclesia, Werslaus, Vnizlaus, Rembertus advocatus, frater Conradus de Dune-munde\*) et alii quam plures. Datum Robele, anno graciae M. CC. L. VI. Kalend. May.

Nach dem Diplomatar. Doberanense. Westphalen a. a. D. Sp. 1498. 1499.

X. Fürst Nicolaus von Werle giebt der Comthurei Mirow die Zusicherung, daß die ihr geschenkte Mühle durch die Anlegung eines Canals aus dem Murizsee keinen Schaden erleiden werde, im Jahre 1273.

Nicolaus, Dei gratia dominus de Werle, omnibus presens scriptum visuris salutem in perpetuum. Notum esse volumus vniuersis et presentibus protestamur, quod nos domino Johanni de Havelberghé beate memorie dedimus denarios pro eo, quod per agros suos de magno stagno Muriz dicto fossatum facere possemus ad molendinum, quod Boche vulgarter dicitur, relinquens nostre iuridicioni, quid mali per cursum aque Muriz possit inferius et superius euenire. Vnde cum predecessores nostri viris religiosi fratribus in Mirowe sancte domus hospitalis Jerosolomitane sancti Johannis baptiste molendinum eorum in villa ipsorum dederint, nec ipsi etiam aggerem molendini in aliquo exaltauerint, sicut notorium est et apertum, nec de eorum molendino apud nos est aliqua querimonia recitata, antequam aqua Muriz per nostram licentiam emitteretur: nolumus predictos fratres in molendino suo ab aliquibus seu ab aliquo ob aque crescentiam molestari. Ut igitur hec firma sint et ne possint a nostris successoribus dubitari, sigilli nostri testimonio roboramus. Testes sunt: Stephanus prepositus in Robele dictus de Vlotowe, Ludolphus de Zwerin; famuli: Olricus de Bardenulet, Willekinus camerarius, Bertrammus de Malechowe minor aduocatus, Hermannus minor aduocatus in Robele, Henricus minor aduocatus in Wefenberge, et alii quam plures pro-uidi et honesti. Acta sunt hec anno domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>LXXIII<sup>o</sup>. Datum de manu Godefridi prepositi Guztroensis, pridie idus Septembris, Robele.

Nach dem Original des Geh. Kabinetts-Archives. Vergl. Jahrbücher des Meckl. Vereins II, 226.

\*) Hier erblickt man einen Klosterbruder von Dinamünde, was die S. 327 geäußerte Meinung bestätigt.



**XI.** Die Fürsten von Werle sprechen die Comthurei Mirow von Rechtsfreitigkeiten frei, welche ihnen seitens der Herren von Havelberg wegen der Mirowschen Mühle gemacht werden könnten, im Jahre 1276.

Henricus et Johannes, Dei gratia filii nobilis viri domini Nicolai de Werle, omnibus hoc scriptum visuris salutem in domino sempiternam. Ad noticiam vniuersorum volumus peruenire, quod nos litteras patris nostri predicti vidimus non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua parte uiciatas, in hec verba: Nicolaus, Dei gratia dominus de Werle, omnibus presens scriptum visuris salutem in perpetuum. Notum esse volumus vniuersis et presentibus protestamur, quod nos domino Johanni de Havelbergh beate memorie dedimus denarios pro eo, quod per agros suos de magno stagno Muriz dicto fossatum facere possemus ad molendinum, quod Boke vulgariter dicitur, relinquens nostre iurisdictioni, quid mali per cursum aque Muriz posset inferius et superius euenire. Unde cum predecessores nostri uiris religiosi fratribus in Mirouue sancte domus hospitalis Yerofolimitane sancte Johannis baptiste molendinum eorum in villa ipsorum dederint, nec ipsi eciam aggerem molendini in aliquo exaltauerint, sicut notorium est et apertum, nec de eorum molendino apud nos est aliqua querimonia recitata, antequam aqua Muriz per nostram licenciam emitteretur, nolumus predictos fratres in molendino suo ab aliquibus seu ab aliquo ab aque cresecencia molestari. Ut igitur hec firma sint et ne possint a nostris successoribus dubitari, sigilli nostri testimonio roboramus. Testes sunt: Stephanus prepositus in Robele; milites: Henricus aduocatus dictus de Ulotouue, Ludolfus de Zuerin; famuli: Olricus de Bardenulete, Wilhelmus camerarius, Bertramus de Malchouue minor aduocatus, Hermanus in Robele, Henricus minor aduocatus in Wefenbergh, et alii quam plures prouidi et honesti. Acta sunt hec anno domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>XXIII<sup>o</sup>, datum de manu Godefridi prepositi Gustrouuensis, pridie idus Septembris, Robele. Robele hanc litteram seu donationem, predictis fratribus a nostro patre et domino predicto collatam, ratam habemus et approbamus, et ne aliquis hominum cuiuscumque conditionis in posterum hanc donationem rationabiliter factam uiolare valeat, sigillorum nostrorum munimine roboramus. Ceterum in presenti scripto protestamur, quod Bertoldus miles, filius domini Johannis de Havelberg, coram nobis et nostris feodalibus quam plurimis abrenuntiauit omni iuri, uel dampno, seu inpetitioni, uel actioni qualicumque, quam se habere dicebat de fratribus predictis uel submersione aque ipsorum molendini in Myrouue, sicut etiam notum est quampluribus et sepius approbatum, eorum aggerem et molendinum loco et modo debito positos, sicut etiam nobis innotuit a fide dignis. Nolumus etiam predictos fratres ab aliquibus in predicto molendino uel aggere suo aliquo modo molestari, vel ad iudicium trahi seculare. Si uero aliqui super isto dictos fratres inpetere ac molestari temptauerint, nos, pro ipsis in tali inuentione responsuri, ab omnibus excipiemus eisdem libere absoluendo. Cum igitur ratio probabilis ac euidentis testimonium bonorum ac laudabilium ea, que quandoque confuscacioni inuoluuntur, inpetitionis ac inuersionis oblique ac indebite immunia efficiat, censentes ueritati, scrutati sumus a nostris feodalibus fide dignis, memoratos fratres bis coram dilecto patre nostro ab inuentione aque et molendini se penitus per iuris sentencias, quam plurimis hoc testantibus, de insultu prefati militis domini B. et sibi consencientium excepisse et liberos] de iudicio euasisse. Quamobrem cum tam euidentis causa et actio lucida dubietatis serupulo cor nostrum nostramque conscienciam non valeat nec debeat obnubilando obfuscare, nec a ueritatis ferie segregari, et quod magis est, nunc tertio coram nobis prehabitos fratres ab eadem inuentione [multis] presentibus rationabiliter et libere defensos et dimissos cause memorate et immunes; insuper et sepe dictus miles sui que fratres cum suis parentibus memoratis fratribus omnem

actionem quoad hanc causam, quam ipsi seu heredes eorum habent seu habere possent, perpetuo resignarunt: igitur testamur, et nos cum patre nostro dilecto, necnon ceterorum militum ac famulorum testimonio, commenda[torem fratresque] ipsos utique nos debere a dicto domino B., nec suis fratribus, nec a quoquam alio hactenus inpetendo perturbari, nec ad eorum proprietatem aliquid de dictis bonis attrahere deposcentes. In cuius testimonium presentem cartulam nostrorum fecimus sigillorum munimine roborari; et quia temporis habilitas et future propaginis ignorancia tutum et cautum edocuit, experimento multorum scripti memoriam in aliquibus necessariis sub notabili testimonio memoriter notando con[s]eruari, hanc cautelam cognoscentes, presentem cartulam subscriptis testibus confirmamus, nobis uidelicet H. et Joh. dominis de Werle, et domino Her. de Lan[ge]uorde aduocato tunc temporis, et domino H. de Havelbergh cum ipso actore fratre suo domino Ber., et domino Priscebur, et domino Cummino, et domino Remberto de Stoculete, et domino Ludolfo de Zuerin, et domino Step[hano] cappellano, et domino Johanne aduocati notario, et Ricberto minore aduocato, et Jacobo iuniore, quos in huius cause determinacionem et rei conscriptionem nominimus adiutores. Datum in Robele anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LXX<sup>o</sup>. VI<sup>o</sup>. III<sup>o</sup>. idus Junii.

Nach dem Original des Geh. Kabinetts-Archives. Vgl. Jahrbücher des Meckl. Vereines II, 228 — 231.

**XII.** Heinrich, Herr von Mecklenburg-Stargard, beurfundet unter Zustimmung des Bischofes Gottfried von Schwerin, daß er dem Kloster Doberan dessen Besitzung zu Zechlin abgetauscht habe, im Jahre 1306.

In nomine Domini amen. Henricus Dei gracia Dominus Magnopolensis et Stargardensis uniuersis presentia uisuris seu audituris in perpetuum. Diversis olim tractatibus habitis inter nos ex una et venerabilem virum Dominum Johannem Abbatem Doberanensem ac ipsius conuentum Zwerinensis Dyocefsis, parte ex altera super eo, quod possessiones, proprietates et iura quelibet, que idem Abbas et conuentus habuerunt in Parochia Zechghelyn Havelbergenfis Dyocefsis ecclesiastico et seculari jure minus utiles ipsis essent, tum propter nimium distanciam a Monasterio suo, tum propter inhabitantium Potentiam, Nobisque propter contiguitatem, quam habent cum terra nostra Stargardenfi, utilitate plurima conuenirent, diligenti tandem utrinque tractatu et consilio prehabitis, in permutationem utrobique perutilem conuenimus in hunc modum uidelicet, quod predicti Abbas et conuentus nobis dimiserunt, cesserunt et assignauerunt omnia bona, possessiones, iura, proprietates siue dominia, que in villa Zechghelin et in ejus confinio habuerunt, Contentientes, quod cum hujusmodi uniuersitate jus patronatus, quod in ecclesia parochiali ibidem habuerunt, in nos pariter transferretur. Nos itaque receptis omnibus supra dictis in nostram possessionem uel quasi, plenarie translatis adeo, quod a sepe dictis Abbate et conuentu nichil amplius petemus, nec hujus rei gracia litem aliquam in perpetuum mouebimus uel moueri faciemus, Recipientes in nos omnes contentiones et lites, que ipsis uel quibuscumque aliis circa predicta omnia et singula suborte sunt, uel in futurum poterunt quomodolibet suboriri, permutationis tytulo ipsis de nostro dominio donauimus libertatem talem, quod libere et licite possint emere quatuordecim Manfos intra terminos Parochie Nyenburgh, ubicumque ipsis fuerit opportunum, sed non in nostrorum curiis uasallorum, quorum proprietatem, que uulgo egendum dicitur, ipsis dedimus perpetuo possidendam. Ceterum hac permutatione secundum modum prescriptum cele-

brata solempniter et completa pio circa ipsos moti affectu, propter vitam religiosam, quam ducunt, et sepulturam, que apud eos est progenitorum nostrorum, jus patronatus ecclesie in Nyemburgh pre-tacte et filiarum ejusdem ipsis liberaliter contulimus, venerabilis patris Nostri Domini Godefridi, Zwerinensis Episcopi, consentu ad hoc requisito specialiter et obtento. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Testes sunt Johannes de Cernin, Heyno de Stralendorpe, Marquardus de Lo, Helmoldus et Johannes Rosendahl dicti de Pleffe milites, et plures alii fide digni. Datum Wismarie anno domini M CCC sexto. In die Penthecostes. Nos eciam Godefridus Dei gracia Zwerinensis Episcopus In signum consensus nostri adhibiti ad puram donationem juris patronatus, de quo prescriptum est, sigillum nostrum apposuimus.

Nach dem Diplomatarium Doberanense. Westphalen a. a. D. Sp. 1584. 1585.

### XIII. Nicolas, Herr von Werle, genehmigt den vorstehenden Tausch, im Jahre 1306.

Nos Nycolaus Dei gratia Dominus de Werle recognoscimus presentibus et testamur, quod permutationem, quam fecit Dominus Henricus Magnopolensis et Stargardenfis, noster patruus dilectus, cum Domino Abbate ecclesie Doberanensis, ratam et gratam habere volumus, quod presentis littere et sigilli nostri testimonio comprobamus. Datum Malchyn Anno Domini M CCC sexto, sabbatho post ascensionem Domini.

Nach dem Diplomatar. Doberanense. Westphalen a. a. D. Sp. 1585.

### XIV. Der Bischof Heinrich und das Kapitel zu Havelberg versprechen dem Edlen Herrn Heinrich von Mecklenburg für das von diesem ihnen ertheilte Eigenthum über Sechlin, ihm niemals Schaden zuzufügen, im Jahre 1320.

Nos Hinricus dei gracia episcopus, Johannes prepositus, Jacobus prior totumque capitulum ecclesie Havelbergensis in omnium quorum interest uel interesse poterit noticiam deducimus per presentes, quod cum nos castrum in Zceghelyn cum villis, bonis, iuribus et iurisdiccionibus univ-ersisque comodis, pheidis, serviciis et aliis quibuscumque pertinenciis, quocumque censeantur nomine, iusto empcionis tytulo comparauimus, pro additacione seu renunctiacione proprietatis ac donacione libertatis nobili ac magnifico domino Hinrico Magnopolensi ac Stargardie domino pro nobis, nostrisque successoribus in perpetuum promissum fecimus, quod eidem domino et ipsius heredibus legitimis per nos et successores nostros aut alios nostro et successorum nomine non debet dampnum uel preiudicium generari futuris temporibus aut inferri. In cuius evidenciam sigillatum dedimus presens scriptum anno domini millesimo, tricentesimo, vicesimo, die dominica ante festum beati Martini episcopi et confessoris.

Nach einer vom Archivar Herrn Fisch gefälligst mitgetheilten Abschrift des im Großh. Geh. und Haupt-Archive in Schwerin befindlichen Originales.

**XV.** Die Ritter und Knappen Heinrich, Kopke, Redeke und Ulrich von Königsmark lassen dem Bischofe Johann zu Havelberg einige von ihm zu Lehn rührende Mühlenpächte in Zechlin auf, im Jahre 1400.

